

1089, julio, 1. Roma

El papa Urbano II accede a la petición de Sancho Ramírez, rey de Aragón y de Navarra, y acoge bajo la protección de la Santa Sede la iglesia y canónigos de Montearagón.

Urbanus episcopus seruus seruorum Dei dilectissimis in Christo fili[i]s regularibus fratribus ecclesie que dicitur Ihesu Nazareni eorumque successoribus regulariter uicturis in perpetuum. Iusta fidelium petitio effectu debet prosequente compleri ut et laborantium in ecclesie deuocio sancta clarescat et utilitas ecclesiastica domino largiente proficiat. Quia igitur karissimus noster in Christo filius Sancius aragonensis siue pampilonensi[s] rex ecclesiam uestram in domini nostri Ihesu Nazareni nomine per ipsum edificata in romane ecclesie tutelam specialiter suscipi postulauit, eius postulacionibus iustis libenter annuimus. Ipse siquidem rex beati Petri deuotissimus famulus romane ecclesie semetipsum omnemque domum et regnum suum deuotione dedi ut se cum filiis suis in perpetuum quingentorum mancusorum omneque caput in regno suo militantium unius mancusi iaccensis annuatim obnoxios fore decreuerit. Ad sumum autem suae fidei et deuocionis indicium ecclesiam uestram in Ihesu Nazareni nomine a fundamentis extruxit, cuius uidelicet inuocacione nominis multiplices de sarracenis ipso Ihesu bono annuente uictorias reportauit. Cui etiam ecclesie capellas omnes que per regnum totum ex morte prouinciarum illarum iuris ipsius sunt subdi petiit et eas omnipotentis domini et romane ecclesie soli tribuit dicioni. Ipsius ergo iustis petitionibus annuenter pro reuerentia et tremore (*sic*) Domini et Saluatoris nostris Ihesu Christi Nazareni proque regis eiusdem deuocione pefatam ecclesiam specialiter in sedis apostolicae proteccionemque sus-

cepimus. Vobis igitur uestrisque successoribus regulariter ibidem uicturis huiusmodi priuilegia per presentem decreti nostri paginam indulgemus. Constituimus enim et apostolica auctoritate decernimus ut ab omni omnino hominum cuiuscumque sint ordinis iugo liberi maneatis, solique sancte et apostolice romanae ecclesie subditi tranquille et quiete omnipotenti domino seruiatis. Vobis etiam uestrisque successoribus capellas omnes regias que in pampilonensi et aragonensi episcopatu esse noscuntur possidendas perpetuo confirmamus, saluo episcoporum iure quod in eis hactenus habuerunt consecratione uidelicet ecclesiarum et clericorum et quarta parte decimarum si tamen catholici fuerint et gratiam atque communionem apostolice sedis habuerint. Confirmamus et cetera omnia que idem rex uobis uel quicumque fidelium de suis possessionibus contulerunt aut que de iure suo pontificum quilibet concesserunt queque in futurum annuente domino iuste ac legitime poteritis adipisci. Sancimus ergo ut nulla secularis aut ecclesiastica persona eandem ecclesiam temere perturbare aut inuadere aut ullis vexacionibus fatigare presumat. Obeunte eisdem loci abbate siue preposito nullus ibi sub repcione aliqua preponatur nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars saniore consilio regulariter cum timore Dei sibi preesse providerint et hoc ipsum consilio regis Sancii successorumque eius qui eandem deuotionem et obedientiam beato Petro eiusque uicariis/exhibuerunt. Consecrationes altarium sive basilicarum, ordinationes clericorum ab episcopo ipsius diocesis suscipietis, si tamen catholicus existens gratiam et comunione apostolice sedis habuerit et ea uobis impendere gratis et sine prauitate uoluerit. Sin autem liceat uobis catholicum quem uolueritis adire antistitem et ab eo consecrationum recipere sacramenta. Porro nulli episcopo liceat eiusdem ecclesie fratres quos in Romane ecclesie filios specialiter dilectione assumpsimus excommunicare aut diuinum eis officium interdiceret sed sub sola sedis apostolice protectione iudicioque liberi annuente domino securique permaneant. Preterea catholicis omnibus notum fieri uolumus quia regem beato Petro debotissimum Santium eiusque filios et omne eius regnum in tutelam sedis apostolice specialiter dilectione suscepimus. Constituimus ergo auctoritate apostolica sancientes ut omnes eius successores regnum illud de manu nostra nostrorumque successorum accipiant et eandem beato Petro nobisque eius uicariis fidelitatem obedientiamque exhibeant eundem censum rependant et se beati Petri reges, ministros ac famulos recognos-

cant. Quapropter nullus deinceps uiventium et fidem christianam tenentium regnum illud temere perturbare, inuadere aut diminueret qualibet occasione presumat ne molestiam ullam Sancio regi eiusue successoribus qui in eadem sedis apostolice fidelitate permanserint inferre audeat ne Dei et apostolorum eius indignacionem incurrat. Vos itaque karissimi filii qui in Ihesu Nazareni ecclesia militabitis, romane libertatis specialis gloria congaudentes, diuine seruitute deuotius atque feruentius insudate, romane decreta ecclesie deuotione debita obseruate atque pro regis Sancii sororisque eius eiusdemque operis adiutricis filiorumque eius et tocius regni salute proque animarum eorum remedio omnipotentis domini misericordiam intensissimis precibus exorare curate. "Luceat lux uestra coram hominibus ut uideant opera uestra bona et glorificent patrem uestrum qui in celis est", neque matris uestre sedis apostolice de uobis prolatum iudicium alicuius obiretationi uideatur expositum. Sane ad inditium huius percepte a romana ecclesia libertatis unam auri unciam per annos singulos lateranensi palacio persoluetis. Hoc igitur nostre priuilegium sancionis siquis in crastinum agnoscens archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps, dux uel marchio, comes aut uicecomes, iudex aut cartaldio uel persona quelibet magna uel parua, potens aut impotens contra eam temere uenire presumpserit et eiusdem ecclesie bona inuadere, molestare uel suis uisibus applicare temptauerit, secundo tercioue commonitus, sine satisfaccione congrua emendauerit, a Christi eum et ecclesie corpore, auctoritatis apostolice potestate segregamus et honoris sui periculo subiacere decernimus. Conseruantibus autem pax a Deo et misericordia presentibus ac futuris seculis conseruetur. Amen. Amen. Scriptum per manus Gerardi scrinii sancte romane ecclesie.

(*Rueda, en mal estado y BENE VALETE*).

Datum Rome kalendas iulii per manus Iohannis sanctae romane ecclesie diaconi cardinalis et prosignatoris [domni] Urbani Pape II. Anno [dominice Incarnationis M° LXXX nono. Indictionae duodecima. Anno secundo pontificatus eiusdem domini Urbani Pape.

A. H. N. Clero. *Montearagón. Carp. 621, n.º 5. Documento en mal estado. Publica Durán, Antonio, Colección diplomática.... I, doc. 53, pp. 70-73*."